

tida, combusta, et ita tandem hæresis mutabitur in carcerem gehennæ et horrorem sempiternum, in mare mortuum, fœtidum, sterile.

Secunde, libido. Hæc Lutherum, Munsterum, Pelicanum, Bucerum, Ochinum, Oecolampadium, Calvinum, Bezam et similes alias humani generis pestes partim e monasteriis, partim e cœtu catholico extraxit ad hæreseon ganeas, et extrahit usque hodie, perverso illorum exemplo. Hæc Angliæ regem Henricum VIII. invertit, et in hostem sedis ac fidei Romanæ, a qua redarguebatur de illicito conjugio et legitimæ uxoris repudio, mutavit. Denique, passim: *Male viventes*, ait S. Chrysostomus, in I. ad Timoth. *ne futurorum metu et expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia, quæ nostra religio continet, nempe de peccatis, resurrectione, judicio futuro et similibus*. Sic Calvinus infernum ponit metaphoricum tantum et phantasticum, ubi scilicet damnati solum apprehendunt Deum quasi sibi iratum.

Tertio, appetitus novitatis. Tametsi enim non omnis novitas grata et jucunda est, (aliquin enim gentiles apostolorum doctrinæ et evangelio non tam acriter restitissent) ea tamen, quæ annexum habet aliquid quod carni delectabile est, obvis ut dicitur ulnis, communiter recipitur. Ita vinum novum omnes bibere volunt; sed qui prudentiores sunt et vetus vinum biberunt, non statim volunt novum; dicunt enim: *Vetus melius est*, ut dixit Dominus, Luc. c. V. Vinum novum, jure illis suspectum est, quia gignit et relinquit post se malos effectus: ita fides nova, cum ea tam antiqua esse debeat, atque est Christus ipse; imo hoc uno novitatis nomine debet repudiari. Quos vero novitas deliciis et voluptatibus affluer ad hæreses impellit, illorum *Deus venter est et gloria in confusione, inimici crucis Christi, quorum finis est interitus*. Audiendus potius Jeremias, cap. VI. *State super vias vestras, inquit, et videte et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona et ambulata in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris*.

Quarto, libertas, quæ juventutum maxime allicit. Dicent enim gulosi: Cur patiamur certis diebus a Romana Ecclesia carnis usum nobis interdici? Annon hoc verbo Dei, præsertim ei loco Matth. XV. *Non quod in os intrat, coinquinat hominem, aperte repugnat? Nonne hoc est quod apostolus prædixit, venturos in extremis temporibus aeductores, qui præcepturi sint abstinentiam a sibus, quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione, simulque nubere prohibitori? Sed non adverterunt miseri, Ecclesiam non tam requirere abstinentiam a certo cibo, quam obe-*

dientiam: nec tam in cibo, quam in contemptu præceptorum esse peccatum. Nos ergo postquam vidimus præcipitia hæreticorum et Tarpeios montes, horreamus vel conspectum eorum, discamusque: *Vade Satana, etc.*

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA CIRCA PERSONAM CHRISTI.

I. Boni post baptismum parent se ad pugnam. — II. Armant se ad pugnam. — III. Arimis dæmonis suggestionibus se opponunt. — IV. Lapides mutant in panes. — V. Animæ cibum potius quam corporis quærent. — VI. Non tentant Deum. — VII. Fugiant iuanem gloriam et avaritiam.

## THEMA.

*Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. IV.*

Videmus in hodierno evangelio, quod olim quidam vidit per somnium a Deo sibi immissum, Judic. cap. VII. *Vidi somnium, aiebat, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi et in castra Madian descendere: cum pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, et terræ funditus cœquavit. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, filii Joas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian et omnia castra ejus. Videmus, inquam, in hodierno evangelio panem subcinericium qui simul etiam gladius est conterens et evertens castra Madianitarum. Quisnam vero ille? Verbum Dei. De hoc enim ait Dominus: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, q. d. et etiam verbum Dei panis quidam est, animæ scilicet. Porro hoc eodem velut gladio pugnavit contra Satanam dum ex Scripturis eum convicit: Scriptum est, inquit: Non in solo pane, etc. Rursum: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum. Denique, Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis. Itaque Dei verbum et panis est fidelium, quo reficiunt animas suas: et gladius est quo impugnant et expugnant castra Madian seu insultus dæmonum. Utrumque in hodierno evangelio non difficile inveniemus, ubi velut pane confortamur, et velut gladio armamur contra dæmonem.**

Duo magni pugiles prodeunt ad certamen hodierno in evangelio, Filius Dei et filius perditionis: in illo cernimus, quæ sint partes filiorum Dei seu justorum, in isto quæ sint machinationes dæmonis ex parte etiam reproborum.

I. Filiorum Dei est, accepto baptismo præpa-

pare se ad pugnam, et cum occasio se offert, strenue pugnare: non otiosi aut existimare, jam omnia confecta et cœlum apertum esse baptizatis. Ita enim Christus post susceptum baptismum, *confestim ascendit de aqua*, inquit Matthæus, c. III. et postea mox ductus est in desertum ad jejunandum et pugnandum cum adversario. Ergo filii Dei ascendant post baptismum de virtute in virtutem, ostendant se athletas, exerant vires suas; quibus proinde augendis institutum est sacramentum confirmationis. Ad hoc unguuntur reges, necnon luctatores, ut fortes se in pugna exhibeant. Et nos in baptismo nostro, quo alio fine unguimur, nisi ut militiam christianam strenue militemus? Certe Samuel postquam in memoriam revocasset Sauli suam unctionem, dicens: *Me misit Dominus ut ungerem te in regem*; mox subjecit Dei præceptum: *Nunc ergo audi vocem Domini: vade et percutite Amalec, etc. q. d. ad hoc enim unctus, ad hoc armatus et rex constitutus es. Gratia Dei, quam in baptismo accepimus et per quam filii Dei constituimur, quasi gladius est, quo spirituale bellum gerere, percutere Satanam, et demoliri omnia vitia debemus. Pignus gloriæ accepimus, sed nisi per luctamen gloriam non obtinebimus: prius appellari Jacob, hoc est, luctatores nos oportet, quam vocemur Israel, hoc est, videntes Deum: quod et sancto illi patriarchæ contigit, Gen. XXV. et XXXII.*

II. Filiorum Dei est armare se ad pugnam. Id enim fecit Christus petendo desertum et ibidem vacando orationi, jejunio, vigiliis et humicubationibus. Cujus exemplo imus in desertum, cum a mundi tumultibus, si non semper, certis tamen temporibus ad animi secreta nos recipimus; item cum ea, quæ carni adversantur et displicent, bona operamur. « Omne bonum (inquit S. Chrysost. hom. V. in Matth.) est extra carnem et mundum, quia non est juxta voluntatem carnis et mundi. Ad tale ergo desertum omnes filii Dei exeunt. » Vel: « Desertum est corpus nostrum, (inquit S. Augustinus, serm. LXXVII. de tempore,) cum abstinentia marcescit caro, siti pallor obducitur et contemptu rerum totius hominis species inculca sordescit. » Hoc armorum genus depingere nobis videtur Deus apud S. Job, c. III. q. sub typo equi militaris dicens: *Numquid præbebis equo fortitudinem? Terram ungula fodit, exultat, audacter in occursum pergit armatis: et mox: Ubi audierit buccinam, dicit: Vah! quasi dicat: Exulta et hinnit præ alacritate. Facit hoc sane equus præsertim generosus, cum ad prælium descendit, terram unguis excavat, aerem hinnitibus implet, ac sine pa-*

vore in hostes irruit. Sed quo fine hæc de equo Deus? Num de equis ipsi cura est? Utique propter nos hæc dicta sunt. Nos equorum instar sumus ad præliandum nati in baptismo, in confirmatione roborati. Ergo ut armemur et animemur contra dæmonem, terram carnis nostræ excavare nos oportet dura illa ungula, jejunii, flagelli, vigiliarum, etc. Hæc enim ratione *cum infirmor, tunc fortior sum*, inquit apostolus, II. Cor. XII. Ita audacter pergemus in occursum forti illi armato ipsique insultando poterimus dicere: *Vah! Quemadmodum fecere SS. Antonius, Hilarion, Martinus alique, qui postquam se jejuniis aliisque mortificationis operibus probe armarunt ac pene confecerunt, tam terribiles effecti sunt dæmonibus ut eorum adventu, voce, imo solo nomine audito, fugere et obsessos deserere coacti sint. Imitemur hos pro modulo nostro, armemus nos contra mundum cordis solitudine, jejunio contra carnem, oratione contra diabolum. Si enim hæc præstare potuit David regis occupatus negotiis, qui dixit: *Elongavi et mansi in solitudine*, Ps. LIV. *Gomua mea infirmata sunt a jejunio*, Psalm. CXVIII. *Septies in die laudem dixi tibi*, Psalm. CXVIII. nos præstare non poterimus?*

III. Filiorum Dei est primis statim dæmonis suggestionibus occurrere, et fœtum venenatum in ovo seu utero necare. Ita enim Dominus a Satana invitatus ad conficiendos solum et parandos panes in jejunio, tametsi nondum edendos, nequaquam ei acquievit, sed repulit veteratorem: *Non in solo pane, etc.* Imitatus fuit dæmon cancri marini astutiam, qui ut scribit S. Basilius, hom. VII. in hexam. et S. Ambrosius, l. V. hexam. c. VIII. ostrea observat, quando ad solares radios se exponunt et testas suas reserant, captura liberum aerem: tunc enim lapillum repansis illis testis immittit, ut recludi ab hisdem nequeant: quo facto, nisi ostrea lapillum mox repellat, cancri præda fiunt, ab eoque depascuntur. Observavit simile aliquid diabolus in Christo, quando vidit in deserto contemplationi et jejunio deditum, tandem esurisse more aliorum hominum. (Sic enim sese aperuit quodammodo Christus, dum se hominem esse aperte demonstravit.) Quid igitur diabolus, retrogradus ille cancer, qui de luce ad tenebras, de cœlo ad infernum retroactus est, quique viris piis velut ostreis insidiatur? Lapides esurienti objicit: *Dic ut lapides isti panes fiant*. His enim præparatis et famæscenti oblatis, facile sperabat se, quomodo olim Evam pellegerat ad esum pomi, proposita ejus specie, Christum quoque plecturum ad jejunium frangendum,

et gulæ indulgendum. Verum sapientissimus Dominus repulit hos lapides, et ne conficere quidem panes, nedum edere voluit ante tempus sibi decretum: ut doceret nos, ne minimam quidem rimam diabolo aperiendam esse, sed initio suggestionis ejus statim obviandum, ne aperto ostiolo subingrediatur et animam depascat. Vidit is proditorem Christi melnatum ad avaritiam et furta; itaque lapillos triginta argenteorum iniecit in ejus oculos et loculos, ut sponderet Christum tradere: quo facto in eum intravit et animam ejus absorbit. Tales itaque lapilli statim repellendi sunt.

IV. Filiorum Dei est, lapides in panes vertere (quod verissime dixit Satanæ) non eo tamen modo, quem intendit dæmon, ad satiandam carnem, sed longe utiliore, ad impinguandam animam: quando nimirum contumelias, probra et convicia in se jacta patienter tolerant: nec velut lapides, sed ut panes in se coniectos accipiunt. Majus homini vulnus infligit calumnia, detractio, opprobrium, quam lapis in eum jactus. *Flagelli enim plaga livorem facit*, inquit Ecclesiasticus, c. XXVIII. *plaga autem linguæ comminet ossa*, q. d. multo pejus lædet. Hoc sensu acceptos lapides sæpe sæpius in panes mutavit Christus Dominus, quando calumniis et opprobriis Judæorum rependit amorem, orationem, instructionem, remissionem. Unde specialiter de ipso intelligendum est, quod dicitur Thren. III. *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis*, q. d. ita patienter et hilariter feret, ac si laute comederet. Quod videre etiam in Davide est, qui lapidibus pariter et opprobriis appetitus a Semei, adeo iis commotus non est, ut delectari etiam et pasci videretur, severe suis præcipiens, ne obtrectanti molesti essent, aut silentium imponerent, II. Reg. XVI. Cui merito annectimus sanctum illum patrem, quem narrat S. Dorotheus conviciis lacessitum, non modo se non avertisse, sed avide etiam attendisse ad objecta, et gratias egisse ea voce: *Benedictum sit, frater, os tuum a Domino*. Illo vero redarguente: *Næ tu, improbe et voracissime senex, hæc dicis, ut lauderis*. Sane, inquit senex, *ita planissime, mi frater, se res habet, ut dicis*. Refert Raderus, in virid. pag. III. cap. II.

V. Filiorum Dei est, alimentum animæ potius quam corporis requirere. Id enim docuit Dominus, cum dæmoni offerenti corporalem refecionem, respondet spirituales potius quærendam, quæ procedit ex ore Dei; quæque non modo animam, sed quandoque etiam corpus sustentare potest, ut patuit in Moyse et Elia, qui solo Dei colloquio et oratione pascabantur per

dies quadraginta; in Maria Ægyptiaca, quæ per septemdecim annos nec tres consumpsit panes; in anachoretis, qui multos dies sine cibo agebant; in Catharina Sennensi quæ integras hebdomadas, nullo alio cibo nisi s. eucharistia alimonia. Miseri mortales de pane tantum corporali plerumque sunt solliciti, eumque durissimo labore quasi ex lapidibus conficiunt, præsentissimo vitæ periculo e fodinis eruunt, e petris exsculpunt, trans maria quærent, et quandoque etiam opera diaboli parant, nec nisi ad vitam corruptibilem et calamitosam aliquamdiu sustentandam. Rectius sapiunt filii Dei, qui dicunt: *Non in solo pane, etc.* Panis animæ potius quærendus, qui est verbum Dei, sacramenta, virtutes, præcepta, gratia, virtutum exempla, etc. de quibus ad litteram scribit Isaias, c. LV. *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?* hoc est, in veris illis et spiritualibus panibus, qui animam reficere et quidem saturare possunt? Subdit: *Audite audientes me, et comedite bonum* (scilicet panem illum, qui vere et solide bonus est) *et delectabitur in crassitudine anima vestra*. Anima, inquit, non corpus: animæ pabulum quærendum est. Audiat ergo dives, quantam sibi gloriam et benedictionem pepererit Abraham, qui non peregrinos recipiebat, sed divertere ad se cogebat: quantam confusionem, cruciatum et penuriam epulo evangelicus, qui ne micæ Lazaro dabat. Audiant nobiles et potentes gloriam Davidis, quam sibi conciliavit, dum coram arca saltavit, et pauperum protector factus est: ignominiam Amanis, qui superbia inflatus, pauperum oppressor fuit. Audiant afflicti patientiam illius Job: uxorati pudicitiam Susannæ: pauperes miseriam Lazari mendici: juvenes castitatem Josephi, etc.

VI. Filiorum Dei est non tentare Dominum Deum; ita enim Christus: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Hoc autem fit, cum non ex justa causa, sed ex impia dubitatione de aliqua Dei perfectione quidpiam dicitur vel agitur experiendi causa; utrum ea in Deo sit, necnon, quomodo regina Saba tentavit Salomonem per ænigmata, III. Reg. cap. X. Quod fit vel explicite, ut cum tentarunt Christum Pharisei per questionem de tributo Cæsari dando, Matth. XXII. vel implicite, cum fit aliquid, quod eo tantum spectat, ut de Dei potentia, sapientia, justitia, misericordia aliisve attributis experientia captetur, verbi gratia, quando quis neglectis mediis ad finem a Deo ordinatis, finem assequi cupit, ut si vivere velit, comedere tamen nolit: sanari velit, pharmaca tamen et medica-

mina respuat necessaria; descendere ex alto velit, nolit tamen per gradus, sed per præcipitium, uti suasit dæmon: vincere in prælio velit, interim tamen parcens pecuniis, justum exercitum non conscribat aut armet: vitam conservare velit, pestis tamen contagionem non refugiat, quemadmodum solent facere Turcæ. Secundo, quando quis miracula a Deo sine necessitate petit, uti quidam Lucæ XI. cum illius effectus, quem a Deo et mediis ab illo ordinatis expectat, impedimenta non tollit; ut si casti esse velimus, ebrietatem tamen et consortia feminarum impudicarum non vitemus; quo sensu intelligi potest id Ecclesiast. XVIII. *Ante orationem præpara animam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum*.

Quarto, cum quis Deo vel vicariis ejus mentitur, ac si probare vellet, num fraudem Dei agnitus et puniturus sit, ut Ananias, Actor. V.

VII. Filiorum Dei est fugere inanem gloriam omnemque avaritiam, quod item docuit Christus, cum nihil ostentationis gratia facere voluit, quo Deo Filium se assereret, nec enim lapides in panes vertit, nec de templo se demittere, angelisque suscipiendum committere voluit, nec pro mundi regnis vel unum genu curvare. Quare nos docemur ab omni omnino peccato adeo abhorre, ut quamvis maxima fame et inopia premeremur, quamvis uno vel levi peccato possemus lucrari totum mundum, quamvis post peccatum sciremur nos ab angelis Dei suscipiendos, id tamen nulla ratione admittere deberemus. Quamobrem D. Anselmus, de simil. c. XIX. dixit: « Si hinc peccati pudorem, et illinc gehennæ cernerem horrorem, et necessario uni eorum deberem immergi: prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me admitterem; mallem enim purus a peccato, innocens gehennam intrare, quam sorde pollutus cælorum regna tenere. »

## CONCIO X.

DOCUMENTA CIRCA PERSONAM TENTATORIS.

I. Diabolus est pauper. — II. Impudens. — III. Debilis. — IV. Invidus. — V. Dolosus. — VI. Stultus. — VII. Mendax.

## THEMA.

Vade Satana, etc. Matth. IV.

Tradunt imperitum quemdam pictorem delineasse in una tabula diluvium Deucalionis, in altera incendium Phaethontis; indeque superbia

tumidum quævisse ex oraculo, quid pro labore meritis esset. Cui responsum est: quoniam una de aqua, altera de igne est; una meretur aquam, altera vero ignem. Pinxit etiam Satanæ, pictor infelicissimus, et proposuit Christo miras quasdam imagines; lapides imprimis in panem convertendos: *Dic ut lapides isti panes fiant*: deinde, angelorum custodiam præcipitio quærendam: *Mitte te deorsum, scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te*: denique, regna mundi per ruinam obtinenda: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Verum infausta hæ picturæ nil aliud merentur, quam quod præ se ferunt: prima, ut lapidibus obruatur; secunda, ut de alto præcipitetur; tertia, ut in profundum cadat, unde nunquam emergat. Sane quæ hic pictor suis suggestionibus pinxit olim et invexit in orbem scelera gulæ et libidinis, punivit Deus acerbissime mundi diluvio et Pentapolis incendio. Nos ergo ne decipiat iste mille artifex, scrutemur ejus vires, dolos, arma, etc.

Nimum quantum prodidit se miserimus diabolus in hodierno evangelio; demonstravit enim ad oculum, se esse pauperem, impudentem, debilem, invidum, dolosum, stultum, mendacem.

I. Pauperem se prodit, dum non cibos, non panes, sed lapides tantum offert Christo, quos ipse si comedere velit, in panes vertat. Ecce non caponem vel perdicem aliasque escas offert, quarum odore vel aspectu solo Christum illaqueare possit? Nimirum pauper est diabolus, nec nisi ad expensas nostras solet nos invitare. *Prædam pollicetur sociis*, inquit, Job, XVII. sed non nisi propriis sumptibus et laboribus capiendam, jubet venatores et canes alere, retia comparare, summo mane surgere, magno labore huc illuc discurrere. Ostendit tibi populifavorem et existimationem, sed ad hanc impetrandam jubet te tuis sumptibus splendide vestiri, aliorum gratiam prehensare, munera largiri. Ostendit tibi scortum vel uxorem alienam, sed ut hæc fruaris, jubet te illius gratiam ambire, servitiis et muneribus emere, noctu vigilare et cum magna trepidatione accessum ejus quærere. Si hæc præstare velis et queas, pollicetur tibi prædam, alioquin nullo modo. Postquam etiam in hujusmodi mercimoniis tua absumperis, tum incipies egere, et tibi nihil dare poterit: quod expertus est ille prodigus, qui ubi consumpsit suam substantiam vivendo luxuriose, tum cepit esurire, et nemo illi dabat vel siliquas porcorum, Luc. XV. Quamdiu abundavit, tamdiu prædam illi promisit, non amplius. Hunc in modum Rab-saces ille (verus diaboli typus) Isa. XXXVI. dicebat

ad Hebræos : *Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque ficum suam, et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ, donec veniam et tollam vos.* Ecce advocaturus populum a rege et lege sua, invitat eum, sed ad quid? Ad summum vinum, ficus et aquas; eis vero, qui nec vineas, nec ficus, nec cisternas habent, quid promittit? Nihil. Indicatum in Pharaone, qui præter opus diurnum injunxit etiam Hebræis, ut sibimet paleas conquirerent ad conficiendum laterum pensum. Pauperrimus ergo diabolus est, et stultissimus proinde qui tali domino servit propriis suis expensis. Quam bonum e contra servire Deo, qui præter præmium dat victum quotidianum, vires et facultates?

II. Prodit se impudentem, idque non uno modo. Imprimis enim licet in primo prælio turpiter succubuisset, mox tamen secundo et tertio rediit, rursumque provocare ad certamen Christum ausus est. Unde apposite apud Job, c. LXI. sub nomine et typo ceti describitur habere cor lapideum : *Cor ejus indurabitur tanquam lapis et constringetur quasi malleatoris incus.* Quia omnes ictus spernit, et percussus fit pertinacior, reditque impudenter nova indicens bella. Ex quo sequitur, nos etiam debellato hoc adversario perpetuo nihilominus in armis esse debere, imo magis timere, ne fortior et cum septem spiritibus se nequioribus redeat actutum. Hinc citato Jobi loco mox subditur : *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur,* h. e. eo devicto pavebunt adhuc viri sancti, ne fortior redeat : ideoque salutari correpti timore expurgabunt animas suas, et custodient a peccatis. Talis angelus fuit S. Antonius, quem crebræ de Satana victoriæ nequaquam securum faciebant, sed cautiorem et in virtutum progressu ferventiorum, quo nimirum omnes aditus veteratorum illi præcluderet. Secundo, audet impudentissime petere : *Si cadens adoraveris me,* quod idem petit a magis et sagis, bestia superbissima, divinos honores ambiens. Quamobrem recte vocatur Beelzebub, id est, Deus musca. Sicut enim muscæ impudentissime involant in os, oculos et faciem hominis, eisque insident, abactæ etiam mox nullo pudore redeunt, ita assolet dæmon.

III. Prodit se debilem et impotentem. Etenim statuere quidem Christum supra templi pinnaculum potuit, quia ab ipso permissus est; deicere tamen non potuit, multo minus cogere, ut se ipse deiceret, vel ipsum adoraret, etc. unde non ait : *Mittam te;* sed : *Mitte te deorsum.* *Persuadere potest, præcipitare, non potest,* inquit S. Hieron. et S. Chrysost. homil. op. imperf. *Non impulit, non tetigit, non appropinquavit, sed tantum dixit : Mitte*

*te deorsum : nam diabolus ad malum hortari potest, cogere non potest.* Ecce hoc expressit Deus, Job, cap. LXI. dicens : *Ecce behemoth, quem feci tecum : fœnum quasi bos comedit, et mox : Qui fecit eum, applicabit gladium ejus. Bos ore abrumpit herbam de campo, et lingua tanquam falce quæcumque invenerit, secat,* inquit Origenes, hom. XXXIII. in Num. Pari modo dæmon neminem vi et potentia, sed lingua tantum seu suasionem et suggestionem abripere a Deo et devorare potest. Eodem pertinet, quod subditur : *Applicabit gladium ejus.* Vult enim dicere : Non sinit eum sævire in hominem pro libitu : sed applicat ejus gladium velut instrumentum chirurgicum, ut non scindat nisi putridam carnem, et cum debito moderamine, ad salutem, non ad interfectionem hominis. « Gladius istius behemoth (inquit S. Gregor. l. XXXIII. mor. c. ult.) ipsa nocendi malitia est; sed ab eo, a quo bonus per naturam factus est, ejus gladius applicatur, quia ejus malitia divina dispensatione restringitur, ne ferire mentes hominum, quantum appetit, permittatur. » Fortissimus quidem est dæmon in se spectatus, et posset is suo gladio, si permetteret Deus, omnes nos perimere : verum ejus brachium tenet et compescit Deus, (quomodo eques fræno retinet et gubernat equum,) ut non quantum vult et cupit, nocere ac tentare possit. Hinc bene subjecit Deus apud Job, c. LXI. *Non quasi crudelis suscitabo eum,* q. d. ne me quasi crudelem judices, qui talem tibi adversarium dedi, quia licet is in se fortis sit, per me tamen retinetur et restringitur. Patuit in S. Job, cui in rebus fortunæ et corpore quidem nocere permissus est, verum animam et vitam ejus servare coactus. *Animam illius serva :* serva, inquit, q. d. custodi eam, ne quid mali patiat. Et sane si nec porcos quidem sine licentia a Christo obtenta ausus est invadere, quemadmodum Matth. VIII. legimus, quomodo pro libitu suo nocere poterit homini ad Dei imaginem facto? Ut argumentatur B. Greg. l. cit. Non est ergo quod vehementer metuamus dæmonem; qui si in ejus gladium non ultro incurrerimus, nihil nobis nocebit.

IV. Prodit sese invidium viris præsertim spiritualibus et ecclesiasticis in culmine perfectionis et dignitatis constitutis. Ad quid enim duxit et statuit Christum supra templum? Cur non supra turrim Herodis? Arcem Arabicam? Portam Salinariam? Domum Sion, etc. cum et ista editissima loca fuerint? Nimirum gaudet maxime dæmon, cum de pinna templi, de perfectionis et dignitatis apice deicere potest viros templo, Deique cultui addictos, quorum virtuti et dignitati invidet. Idcirco sæpe aliquos ad supremam fastigia evehit, ut eos lapsu graviore præcipitet in bara-

thrum luxuriæ, vel in foveam avaritiæ, vel ad negotia terrena et sæcularia pertractanda, spiritualibus omissis, vel ad inordinatos propinquorum affectus, etc. Per vulgata est illa historia, quam scribit Palladius, in historia patrum Ægyptiorum, in hunc modum. « Dicebat quidam de Phebæis senibus, quod ipse esset filius sacerdotis idolorum, et narrabat : Cum parvulus sederem in templo, et vidissem patrem meum frequenter ingredi, et sacrificia offerre idolo, semel occulte post ipsum intravi, et vidi Satanam sedentem, et omnem militiam ejus adstantem ei, et ecce unus de principibus ejus, veniens adoravit eum. Cui diabolus dixit : Unde venis tu? Et ille respondit : In illa provincia eram, et suscitavi illic bella, et perturbationes plurimas, et effusiones sanguinis faciens, et veni nuntiare tibi. Et diabolus interrogavit : In quantum temporis hæc fecisti? Et ille respondit : Triginta diebus. Et diabolus jussit eum flagellari, dicens : Tanto tempore hoc solum fecisti? Et ecce alius veniens adoravit eum, et ipse dixit : Unde venis tu? Et respondit dæmon : In mari eram, et suscitavi commotiones, et demersi naves, et multos homines occidens, veni nuntiare tibi. Et dicit ei diabolus : Quanto tempore hoc fecisti? Et ille respondit : Sunt dies viginti. Et hunc similiter jussit flagellari, dicens : Quare tantis diebus hoc solum fecisti? Et tertius veniens, adoravit eum. Dixit autem et huic : Et tu unde venis? Et respondit : In illa civitate fui, et dum ibi fierent nuptiæ, excitavi lites, et multas effusiones sanguinis feci, insuper et ipsum sponsum occidi et veni nuntiare tibi. Et dixit ei, quantis diebus hoc fecisti? Et respondit : Decem. Jussit autem et hunc, qui moras fecerat flagellari. Venit autem et alter adorare eum, et dixit ei : Unde venis? Et respondit : In eremo eram, et ecce quadraginta anni sunt quod impugno monachum quemdam, et vix nocte una prævalui, ut facerem eum fornicari. Quod diabolus audiens surrexit, et osculatus est eum, et tollens coronam, quam ipse habebat, posuit in capite ejus, et fecit eum sibi considerare, dicens : Magnam rem et fortem egisti! Et hoc ego cum vidissem vel audissem, dixi intra memetipsum : Valde magnus est ordo monachorum! Et ita placuit Deo salutem donare mihi et ingressus sum, et factus sum monachus. » Simillimam huic historiam narrat Cassianus, collat. VIII. c. XVI. Habent ergo spirituales et qui in dignitate constituti sunt, cur sibi magis timeant ab insidiis dæmonum, ut etiam monet eos Ecclesiasticus, c. IX. dicens : *In medio laqueorum ingredieris et super dolentium arma ambulabis.* Quæ verba quia obscura sunt, e Græco textu illustrari possunt, qui sic legit : *Super pinnacula*

*civitatis ambulabis.* Quis autem nescit esse rem periculosissimam, ambulare super pinnacula? Ita porro ambulant, qui in dignitatibus præsertim ecclesiasticis constituti sunt.

V. Prodit se dolosum. Imprimis enim occasionem tentandi captat commodissimam ab esurie Christi, indeque cum ad gulam provocare studet. Velut enim belli dux civitatem expugnaturus, lustrat prius et explorat civitatis situm ac muros, et qua parte infirmior est, illa eam adoritur et oppugnat. Lustrat undique sepem, et illic eam transilit, ubi est humillima. Unde I. Petr. V. dicitur velut leo circuire quærens quem devoret. Qui naviculam ad se trahere cupit, advertit ubinam funis de navicula propendat; inde enim apprehensam scapham facile quo vult, trahit. Hunc in modum vidit Judam propensum ad furta et avaritiam, hinc pertraxit eum ad prodicionem; Davidem vidit domi otiosum et deliciis aliquando deditum, hinc impulit eum in adulterium; vidit Cainum livore in fratris odium propendentem, inde persuasit ei fratricidium; vidit Evam curiose aspectantem lignum vetitum, inde pellexit eam ad esum. Videt alios egestate premi, unde non difficile persuadet illis furta, perjuriam, scortationes, homicidia. Deinde, facilissima esse fingit, quæ a nobis petit, tametsi maximi laboris et durissimi apud Deum iudicii sunt. *Dic, inquit, ut lapides isti panes fiant,* supra vires naturæ est e lapidibus panes facere, et tamen is : *Dic tantum,* inquit, et fiet. Gravissimum et inexcusabile scelus est sororem incestare; et tamen cum machinaretur Amnon, nec tamen posset vel auderet facere, suggerit ei Jonadab (sufflatorium diaboli) : *Quare sic attenuaris macie, fili regis per singulos dies? Cuba super lectum et languorem simula, cum venerit pater tuus ut visitet te, dic ei : Veniat, oro, Thamar soror mea.* Quo facto compressit sororem, II. Regum XIII. Ecce : *Dic ei,* ut veniat Thamar, inquit, q. d. quid tu fili regis non poteris? Hunc in modum scelera etiam gravissima repræsentat dæmon reprobis quasi leviam. Quid erit, inquit, occidere unum hominem? Quid exsatiare libidinem, quo natura impellit? Quid fraudare uno alterove floreno? Quid inebriari semel? Facile est hæc obtinere, facile et excusare.

Tertio, a levioribus incipit, et gradatim ad graviora progreditur. Panem primo offert Christo ad pellendam famem; tum audacior factus, præcipitium suadet; demum impudentissime adorari ab eo petit. In prima tentatione hominem præ se fert; in secunda angelum, dum eum assumit in templum; in tertia diabolum, dum idololatriam suadet. Hæc fraus, hic astus diaboli.